

XIII

datus Exper. FRENZELIO, Viro peritissimo, eideinque chirurgo primario equitum excubitoriorum S E RENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS N O S T R I, in quo viro alterum sibi parentem obtigisse, laetissima mente praedicat. Siquidem ille non solum in ingenio eius formando omnem operam collocavit, artisque chirurgicae praecepta tradidit, verum etiam benigne veniam ei concessit, aegrotos, ipsius curae demandatos, visitandi et examinandi, quam admodum sibi utilem fuisse profitetur. Eiusdem viri benevolentia et cura euenit, vt noster ex scholis Ill. H A E N E L I I, Excell. PITSCHELII, b. W A S S E R M A N N I et Clar. S T E I N L O E C H L E R I, quae nomina summa semper obseruantia culturum se recipit, accuratam doctrinarum medico-chirurgicarum cognitionem haurire posset. Tam bene praeparatus, ad augendas eruditionis copias, anno septuagesimo secundo, in hanc academiam se contulit, ab Excell. B O R T Z I O, eius tunc R E C T O R E, ciuibus nostris adscriptus. Itaque coepit audire Excell. SEYDLIZIVM, logicam et doctrinam morum proponentem, Excell. M O R V M et Excell. C L O D I V M, veterum Auctorum nonnulla scripta interpretantes, et Summe Ven. B V R S C H E R V M, historiam emendationis sacrorum enarrantem. Historiam naturalem atque botanicam Ampl. L E S K I V S, physicam experimentis illustratam et doctrinam de electricitate Exper. L V D W I G I V S ei explicuerunt. Ut vero ad accuratam medicinae cognitionem perueniret, singulas eius partes hoc modo tractandas sibi sumvit. Nempe physiologiam, materiam medicam, pharmaciam, et chemiam experimentis illustratam in praelctionibus Exper. L E O N H A R D I didicit, cuius examinibus quoque et scholis priuatissimis, ad repetendum totius Medicinae ambitum institutis,

B 3

multum